Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift

solę eternam. Propter turbam uero ne se comprimerent nauicula dominus
ascendit. qui turbidas carnalium mentes fugiens ad eos potius
qui fluxam seculi gloriam simul. et abiectionem spernere didice
runt uenire et mansionem apud eos facere gaudet. ·VIIII·
Quotquot autem habebant plagas. et spiritus inmundi cum illum uide
bant procidebant ei. Procidebant quidem utrique domino id est
et qui habebant plagas infirmitatum corporalium et qui ab spiriti
bus uexabantur inmundis. sed infirmi simplici intentione optinen
dę salutis demoniaci autem uel potius habitantes in eis demones.
terrore diuini timoris coacti nec solum ad procidendum ei uerum
etiam ad confitendam eius maiestatem sunt compulsi. Perculsi enim uirtu
tis eius presentia ac nimium perterriti. nequaquam celare audebant
quem filium dei esse iam iamque cognouerant. Ubi satis semperque
arrianorum est miranda uel potius dolenda cęcitas qui illum post resur
rectionis et ascensionis ipsius gloriam. post dilatatam toto orbe
fidem euangelii. post edificatas in omnibus gentibus ecclesias. laudatumque
in eis nomen domini saluatoris a solis ortu usque ad occasum
repente negat filium dei quem demones mortali adhuc carnis
habitu indutum. filium esse dei aperta uoce profitentur. Sic enim sequitur.
Et clamabant dicentes. Tu es filius dei. Et uehementer commi
nabatur eis ne manifestarent illum. Quare autem dominus eloqui de
monia prohibeat psalmista manifestat qui ait. Peccatori autem
dixit deus. quare tu enarras iusticias meas. et assumis testa
mentum meum per os tuum. tu uero odisti disciplinam et cetera.
Prohibetur ergo dominum predicare peccator. ne quis dum predicantem au
dit sequatur errantem. Improbus enim magister est diabolus qui
falsa ueris sepe permiscet. ut specie ueritatis testimonium
fraudis optegat. Alias autem non soli demones qui inuiti confite
bantur iubentur silere de Christo. sed et illi qui ab eo sanati sponte